

Daphnidis, agrestisque tenes fastigia musæ,  
 Hanc concede ulmum subter, simulacra Priapi,  
 Fontanas contra & nymphas; pastoribus apta  
 Heic sedes, heic & quercus; heic, Thyrsi, canentem  
 Audiero nunc te si carmen, quale canebas  
 Pastorem Lybiæ contra Chromin; hanc tibi capram  
 Ter mulgere dabo: binos alit ubere fœtus;  
 Bina simul niveo complet multralia lacte.  
 Addam alte insculptum calicem; ceraque liquente  
 Collutum, instructumque ansis exstantibus, ipso  
 Nuper calatum qui se testatur odore;  
 Cui virides hederæ, cui luteolus amaranthi  
 Hæret flos labro in summo, croceoque virentes  
 Capreoli fœtu serpunt ludente corymbo.  
 Interius sculpta est, opus admirabile, forma  
 Præstanti mulier, peploque induita fluente,  
 Reticuloque comas flaventes vincta: minaci  
 Ore viri duo stant propter, torvumque tuentes  
 Alternis frustra jurgantur. despicit illa  
 Atque hunc atque illum ridens, nec jurgia curat:  
 Ipsi autem duro correpti peccus amore  
 Ignem oculis jastant tremulis, frustraque laborant.  
 Hos juxta scabro in scopulo piscator ad undam  
 Curvus per cautes festinat retia ducens.  
 Ille laboranti similis: namque omnia membra  
 Contendit nisu ingenti, colloque tumentes  
 Ostendit venas, senior; sed digna juventa  
 Firma viri se vis cano sub vertice prodit.  
 Vinea non longe gravidis rubet aucta racemis,  
 Quam juxta parvus servat puer, & sedet ipsam  
 Ad sepem. heic geminæ vulpes, quarum altera vites  
 Per medias cursans maturas deripit uvas;